

Magnifico Dn. Parenti tuo, ut & tuæ Con-
jugi & toti familiæ omnia fausta precor. Hei-
delberga d. 14. Decembris 1584.

EPISTOLA XXXIX.

S Ante paucos dies, dedi, ei, quem æstus
vestrorum Theologorum ejecit (a) ceu
Jonam: Palatinatus autem suscepit, aliquot
libellos tibi, vir animo meo carissime, red-
dendos, cum scheda non obsignata, Hodie
vero tuas accepi, quas Episcopus non attu-
lit. Ad eas respondeo. Sciat Magnificus
Dn. Parens tuus, profecto magno vivere ju-
ventutem literatam in hac urbe. Credo
mensam meam esse inter sumtuosissimas
nam qui extra ædes habitant, numerant sin-
gulis septimanis 26 batzios, qui in ædibus
habitant singuli 30. bz. Sed sunt qui alibi
talerum pro victu dent: in contubernio:
qui 24. fl. sed pro cibo. Tantos autem sum-
tus illorum quidam extra ordinem fecerunt:
ut lectissimi quidam nobiles ad me confuge-
rint, tum ut a temulentia ipsis nullum sit
pericu-

(a) est unus ex illis Theologis, qui propter Calvi-
nismum detectum expulsi sunt, confer laudatissi-
simam disp. Excel. D. Zeltneri de Hellingo.